

Hilfsarbeiten gemacht

11426

Lfd. Nr. 1 zum Inhaltverzeichnis = 00

" Nr. 3 = 00

" Nr. 4 = 00

" Nr. 9 = 00

Als 00 zur Zusammenf.

9

EXAMINI PVBLICO

ET
NONNVLLIS SIMVL HABENDIS

ORATIONIBVS

DIE I. ET II. OCTOBR.

IN

PÆDAGOGIO BERGENSI

SCHOLARVM LITTERARVMQVE

PATRONI ET CVLTORES

EA QVA SVNT BENIGNITATE
INTERESSE VELINT SVBMISSE ROGAT

SIMVL VERO

GENVINAM DIGNI ACADEMIÆ
CANDIDATI IDEAM

EXHIBET

STEPHANVS CAROLVS SIBETH,
PÆDAGOGII RECTOR.

MAGDEBVRGI,
LITTERIS CHRISTIANI LEBERECHT FABRI, PRIV. TYP.

1738

EXAMINI PUBLICO

NONNULLIS SIMUL HABENDIS

ORATIONIBUS

DIE 1^{ta} M. OCTOB.

IN

PEDAGOGIO BERGENSEI

SCHOLARUM LITTERARUMQUE

PATRONI ET CULTORES

EA QVA SVNT BENIGNITATE

INTERESSE VELINT SADMISSE ROGAT

SIMUL VIBRO

GENVIANAM DIGNI ACADEMIE

CANDIDATI IDEAM


ELIGIT

STEPHANNUS CAROLVS SVBETIVS

PEDAGOGVS

MAGDEBVRGI

LITTERA CHRISTIANI ABERECHTI FABRI M. D. C. C. C. C.



§. I.



In variis illis eisque nocentissimis, quibus Immaturus
Academiae
appetitus
grauissimus
iuuentutis
morbus. nostra potissimum tempestate scholæ inferiores adffiguntur, morbis, nimium præaturumque Academiae appetitum, pruritum potius dixerim, præ ceteris omnibus iuuentuti litteris vacanti esse periculosum, credo, qui inficietur, fore neminem: si seria secum æstimatione pensitauerit, quod inde damnum non in priuatam solum iuuentutis, sed in rem totam & christianam & litterariam redundet præsentissimum. Quum enim vehementissimo hocce imperu, vt est in adolescentibus, elegantiorum litterarum studia, quæ fructuum instar temperato quodam calore certoque temporis interuallo iustam ad maturitatem essent perducenda, cruda quasi & immatura abrumpanitur, abruptaque ad altiores musarum sedes transferantur: quis vel mediocri rerum perspicentia præditus non primo statim intuitu animaduertit, fieri nulla posse ratione, vt eas, quæ in Academia coluntur Scientiæ, neglectis his, quæ in Scholis traduntur, cum quibus artissimo coherent vinculo, aut auspiciari quisquam possit feliciter aut ad finem perducere optatum? Tali ratione perduto potius quam absoluto solenni isto, quod plurimis tantum degere licet in scholis superioribus,

triennio, si quando ex Academia reduces sunt, re sua quasi optime administrata: quid habent prius quid posterius? ac ut primo quoque tempore, quacunque demum fiat ratione, in grauissima cum sacra tum ciuilia munera irrepant, ad quæuis potius ministeria apti quam ea, quibus rite procurandis & sufficiens scientiarum cognitio postulatur & incorrupta vitæ integritas. Hinc ingens illa in templis pariter ac foro id est in muneribus sacris non minus ac ciuilibus, quid? quod in scholis & inferioribus & superioribus semidoctorum turba; cui litterarum pesti omnes & ætates & ordines peruaganti si non alma summi Numinis prouidentia medicata fuerit, bonarum artium interitum, certe ingens earum detrimentum ut extimescamus, est necesse.

§. II.

Mali huius
Scholastici
causæ.

Originem huius mali & scholis & communi omnium saluti tam fatalis tamque exitiosi causasque & materiam, quibus fouetur quasi ac in dies veneni instar latius serpit, inuestiganti, primo statim occurrit deterrima illa de se suisque perfectionibus benigna nimis & iusto liberalior opinio; quæ, quamuis mortalibus vniuersis est communis, peculiaris tamen est iuuentuti eique eo perniciosior, quod ea, qua est animi inconstantia iudicijque imbecillitate, non tantum magnifica prorsus de se credit, sed ægerrime eo potest commoueri, ut perspecto suo errore, quem vel manibus palpitare possit, in ruborem coniciatur. Hac, qua laborant adolescentes, confidentia intemperata velut incantatione quadam effascinati tam præclare de se suaque doctrina statuunt, ut, qui vix primis litterarum depositis rudimentis, in tertiis stare debeant aut quartis, ii vel in primis consistere non erubescant. His, quibus incenduntur nimis de se persuasionis igniculis, nouas faces nouamque materiam subministrat incredibilis quidam, quo in certa quædam studiorum genera feruntur, impetus.

Quam

Quam cum ratione non temperant, nausea inde & fastidium omnibus reliquis & linguis & scientiis creatur. (a) Mirifice hoc in errore exemplo & auctoritate multorum, de omnium aut quarundam saltem scientiarum pretio admodum peruerse & leuiter iudicantium, obfirmantur. Alios, præter ea quæ diximus, insanus quidam licentiæ academicæ, (specioso libertatis nomine tristitiam rei mitigant) occæcat adeo & peruertit, vt, quo ferociores, eo ad Academiam aptiores sibi esse videntur. Sunt, quos commilitonum pariter delirantium exempla pelliciunt, sunt quibus opiniones de generis nobilitate, de optam facultate, de annorum numero, quos habent & eius farinae aliæ tam larga de suis in litterarum studiis progressionibus iudicia suggerant, vt eis, qui secus senserint, grauissime offendantur. Taceo alias, de quibus nec refert nec licet multa commemorari, huius præcipitis ad studia litteraria altiora festinationis causas.

§. III.

Morbi huius scholastici naturam vt & causas quasdam primarias, posteaquam inuestigauimus, ad remediorum ducimur indagacionem, quibus rite adhibitis, si non omni, aliqua tamen ex parte tam pestifera tamque vniuersalis labes possit curari. Qua in re a diuino auxilio, vt in reliquorum,

Media, quibus tanto malo est resistendum.

A 3

sic

- (a) In aliis huius generis scientiis, ad quas non raro adulescentes iuuenili aliquo eoque nimis efferuescente irritamento concitantur, Mathematicæ cum Philosophicis in se saluberrimæ iure habentur. Quarum si prima elementa vixdum satis imbiberunt: næ, quam sibi ipsi placenti arrogantes iuuenes, quam sapiunt, quam alia illis omnia sordent atque vilescunt. Qua censet igitur, Lector, iuste rerum arbiter, opus sit circumspectione doctore, qua prudentia, vt opportune eiusmodi iuuenum inconsideratorum ardorem restinguat; quod eo fit difficilior, quo arctiori, omnibus in rebus, iustus rei vsus & eiusdem abusus sese contingunt confinio.

fic & huius morbi sanatione efficacissima medicina, si discesserimus: quisque facile perspicit, communi huic calamitati communi consilio coniunctisque viribus esse prospiciendum. Ea propter summorum Principum est, vt edictis publicis hunc in finem manifestatis; (b) magistratuum inferiorum, vt strenua & iusta eorum, quæ laudabiliter sunt decreta, executione; (c) stipen-

(b) Summorum Principum Sapientiam neutiquam hac in re partibus suis deesse, saluberrima nostris æque ac aliis in regionibus publicata decreta testantur, in quibus, eis omnibus ad publica beneficia aditus seuerissime interdicitur, qui non præuio examine digni eisdem fuerunt iudicati. Quibus saluberrimis supremorum magistratuum consiliis, si inferiores, remoto pernicioso illo partium studio, mascule responderent, hincque eos omnes, qui aut ipsa naturali indole ad literarum studia cum successu continuanda haud sunt compositi, plane remouerent, aut ingenio quidem non destitutos, sed non satis adhuc ad altiora feliciter capeffendos idoneos aliquandiu, quo maiori sese ad illa diligentia præpararent, demorarentur subditisque simul calcaribus inflammarent: quam feliciter profecto saluberrimo hocce rigore non factus solum iuuenum inflatus comprimeretur, sed ea, quæ ceperunt litterarum incrementa, ad iustam possent euehi altitudinem?

(c) Ii proh dolor! nostrorum temporum sunt mores, vt quæ sapientissime sunt præcepta & sub pœnis grauissimis iniuncta, ea ab his, quibus religioni esset eisdem inuigilare & satis facere, turpissime soleant posthaberi ac negligi. Grauiissimam præterea magistratus publici sacrorumque præfecti, quibus Scholarum patrocinium & tutela demandatur, in eo sibi culpam contrahunt, quod de minutis vilissimis quibusque prius sunt magisque solliciti, quam de Scholarum, quæ vt floreat, tam multum interest salutis publicæ, incolumitate. Nihil iam dicam de summa, quæ in eligendis iuuentutis moderatoribus circumspectio adhibenda esset, nec de crebris instituendis Scholarum visitationibus, cumque Præceptoribus de rebus, quæ istuc pertinent, colloquiis; (de quibus multi, quibus conueniret, nec somnio cogitant;) id tantum

stipendia aliaque beneficia administrantium, vt exacta virium & ingenii & diligentia exploratione, prudentique habito delectu; (d) doctorum iuuentutis, vt cum aliis remediis, tum testimoniis haud corruptis sed veritati religionique consentaneis; (e) denique parentum & eorum, qui parentum sunt loco,

tantum reprehendo, quod in eis, quæ publica autoritate habentur, profectuum explorationibus non decentem adhibeant vigilantiam atque rigorem nec in dispensatione beneficiorum, discrimen.

(d) Quæ de male collocatis & pessime administratis Stipendiis beneficiisque publicis nullo non tempore effusæ sunt acerbissimæ eæque iustissimæ querelæ, non est, vt hoc loco nequicquam fufius repetantur. Immane profecto scelus est & ipsis deorum cultoribus horrendum, illis beneficia subtrahere, qui eis maxime indigent & quorum in vsum sunt destinata; contra vero eos admittere, qui propriis adiuti opibus, commode eis possent carere. Quæ tamen scdissima consuetudo ita inualuit vt nec religioni, sibi hoc iniustitiæ genus ducant, nec turpitudini. Nouum male administratorum huius generis beneficiorum modum liceat commemorare, eum, quo in conferendis hisce pecuniis in vsum iuuentutis litteris consecratæ sancitis, nullam ingenii, diligentia, eorumque omnium, quæ profectum Academia aduenam constituunt, habent rationem. Quod si fieret & ea, qua par est, seueritate fieret, nemo sanus dubitabit, quin iuuenes multo maiorem operam sint collocaturi, quo digni hisce beneficiis censerique queant, nec prius de altioribus profecto cogitarent amplectendis, quam inferioribus rite satisfecissent.

(e) Præceptorum, quibus iuuenes tam in veræ pietatis quam litterarum studio demandantur erudiendi, tam late pater, pro suis cura atque sollicitudo, vt non præsentibus solum instituunt, sed etiam absentium & studiorum & vitæ & salutis æternæ habeant rationem. Quæ vero omnia, quum maximam partem a bene aut male vitæ academicæ instituta dispositione dependant: ei vt omni-

loco est, vt, quacunque fieri potest ratione, tam intempestiuum, imprudentem & saepe desipientem adolescentum ad altiora adspirantium nisum sufflaminent eoque ad profundiora

omnibus, quibus possint, modis prospiciant, est contendendum; quo vero praecipue id referendum puto, vt, quantum salua sua conscientia facere possunt, non nisi rite praeparatos ad eminentiora litterarum Studia admittant. Hunc vt optatatum adsequantur finem, tot ineunt vias, quot & amor suorum paternus (is enim debet esse praceptoris genuini) & prudentia, diuina sapientia gubernata, (sine qua sapientia omnis Scholastica est desipientia) subministrat. Id circo diuina, quacum merito omnia auspiciantur, gratia adiuti veram animi demissionem, & in principio & in studiorum successu suis instillare student, rati, ea nimiam altiorum, quam quibus pares sunt, scientiarum auiditatem facillime posse temperari. Eam praeterea laborant sibi apud suos acquirere fiduciam, vt iuuenes non in minimis, tantum abest in re tanti momenti, quidquam sine Praceptorum suffragiis suscipiant; qua vero confidentia nullam aliam ad rem, nisi suorum in prosperitatem vtuntur. Accedit his, vt, quantum fieri potest, non in eis omnibus, quibus fas est erudiri eos, instruant solum idque sincere; sed quantum adhuc desit, & qua ratione emendari possit & priuate & publice moneant. Quae & huius generis alia, si minus sufficiunt: ad externa quaedam refugiunt auxilia, id est parentibus aliisque, quibus iuuenes parere debent, consiliis & adhortationibus subuenire student; qua in re testimoniis, quae de suis perhibere debent, melius vtuntur, quam quidem plerumque fieri solet. Haec enim ita proh dolor! degenerarunt, vt nulla res magis sit explosa, adeo, vt prudens quisque & sincerus, nisi cogatur, ad ea prouocare sibi fere religioni ducat. Absit vero candidum Praeptorem hunc testimoniorum feddissimum abusum sua auctoritate stabilire, in vsum potius suorum sapienter conuertit; qua re cum dignos, digno testimonio nunquam priuat: sic immeritos eo non solum non in errore suo confirmat, sed ad saniolem mentem recusato testimonio reducere studet.

ora & veræ virtutis & doctrinæ iacienda fundamenta salutari-
ter vtantur. (f)

§. IV.

Publica & prudentia & auctoritas cum tam parum malo huic remouendo proficiant: quid priuata effectura sint consilia, quamuis in se saluberrima, facile suspicamur. Spennendum interim nullum, si vel tantillum ad commune bonum conferat, esse monitum, iure arbitramur. Qua spe freti, accuratiorem digni Academiae candidati delineationem non abs re futuram esse credidimus. Fore enim & inter iuuenes ipsos & eos, quorum est illos gubernare, qui collata hac, quam exhibe-

Idea boni
candidati
descriptio
quid ad
hanc rem
faciat.

B

hibe-

(f) Parentes & ei omnes, quorum ab arbitrio commigratio iuuenum in Academiam dependet, duo in deuia sibi e diametro repugnancia aberrare solent. Dantur (sed huius quidem generis pauciores) qui, nescio qua de causa, suos iusto longius in scholis inferioribus detinendos esse censent. A qua vero aberratione plurimi tam sunt remoti, vt potius in contrariam incurrant. Ea enim feruntur precipitantia in ablegandis suis ad Scholas superiores, vt de eo parum solliciti, sint ne re vera ad gravissimam hancce commutationem idonei, id tantum agant, id curent, vt primo quoque tempore filiolos suos, quos insano quodam amore, nulla prudentia temperato, prosequuntur, in sinum suum recipere, receptosque hoc illoue munere, aut pecunia aut alio corruptionis genere anquisito, possint adornare. Hi, dum suis optime consulere student, maxime nocent; nil dicam de insanabili, quod publicæ saluti insigunt, vulnere. Eiusmodi enim indocti & iniusti tam rerum politicarum, quam sacrarum præfecti tam diu sunt communi incolumitati impedimento, quam diu viuunt. Quam sane salubriter parentes suis prospicerent, si, quum eos ipsi explorare non valeant, aut vacent, aut alia quacunque re, quo minus ipsi faciant, impediuntur: torum hocce tanti momenti negotium aut præceptoribus ipsis, si de earum integritate sunt confirmati, aut aliis quibusque eiusmodi examini sufficientibus permetterent?

hibebimus, perfecti Candidati, idea parcius modestiusque de se suisque sint sensuri, nullus dubito. Quo facto, si vel vnus commodo fuerit consultum: nunquam me vt huius descriptionis pœniteat, est futurum. Ante tamen, quam ad ipsam memet accingo hac de re disputationem, cautum mihi esse volo, non tam ab illorum obiectionibus, qui remissiozem iusto atque leniozem, quam ab eorum, qui nimis forte rigidum, nimis seuerum egisse me censorem accusauerint. Quibus vltimo loco nominatis, quum priores non sint, quos vereamur, tum illud in antecessum responsum esse volumus, quod cuiusque rei, quæ maius & minus, id est gradus admittit, semper illud, quod omnibus numeris est absolutum, in definiendo iure ponatur, (g) tum non eadem omnes norma atque mensura rei alicuius aut necessitatem aut vtilitatem demetiri.

§. V.

Generalis
totius tra-
ctationis
diuisio.

Computatis eis omnibus & sub examen reuocatis, quæ genuinum Academiae colonum constituunt: commode ad tria hæc, quæ sequuntur, capita possunt redigi, vt primum non nomine sed re vera & ex animo sit Christianus, deinde vt sufficiente earum & linguarum & scientiarum sit instructus cognitione, quæ ad Academicarum scientiarum cursum & rite inchoandum & feliciter emetiendum desiderantur, denique vt conuenienti & humaniorum litterarum cultori & potissimum Christiano morum elegantia sit conspicuus. Quo circa tripartita, in effiguranda natiua quadam & decenti candidati Academici specie, erit instituenda descriptio. Sit vere pius, sit in eis, quibus opus est, sufficienter eruditus, sit modestus & vrbanus.

§. VI. Pri-

(g) Haud sine ratione cautum est in regulis definitionum atque præscriptum, scientiarum virtutumque notiones tam absolute, quam fieri potest, gradu esse efformandas, tam eam ob causam, vt nimium sibi arrogantibus rubor exprimat, quam vt altiora adspirantibus acriores suppeditentur stimuli.

§. VI.

Primam & primariam ut in hacce inquisitione pietatis Qua ratio-
ne ad pie-
tatis leges
hæc idea
fit descri-
benda. eiusque vere christianæ ducamus rationem, nemini, spero ne ad pietatis leges hæc idea sit describenda. scrupulum illud esse iniecturum, cogitanti, non nos veterem aliquem romanum litterarum studiosum Athenas aut alias Græcorum inclytas bonarum artium mercaturas frequentaturum, definire; sed eum, qui optimi seruatoris doctrinæ & exemplo nomen dedit, id est Christianum. Qua in re hanc inibimus viam, ut tum ipsam experientiam consulentes, cuiuscunque generis sint illi, qui derelictis castris musarum inferioribus, superiora adscendant, animo nostro complectamur, tum vero ex eo, quem sibi merito præfixum habent finem, ut & ex periculosissima illa, quæ eas in Academiis excipit vitæ & studiorum conditione, colligamus, quæ eius vere Christianæ pietatis facies esse debeat, qui sine periculo salutis æternæ & in felicem studiorum suorum euentum hocce summi momenti negotium aggredi potest.

§. VII.

Quod si omnem istam, quæ ad Academias confluit ex Primum
eorum ge-
nus, qui ex
Scholis in-
ferioribus
ad Superio-
res commi-
grant. scholis, multitudinem oculis pariter atque animo perlustramus, plerumque proh dolor! primo conspectu sese offert ali- quod iuuenum genus profanum, petulans, inhumanum, ferox intemperans & ut breuibus complectar, brutorum quam hominum similis, quod e scholis velut refractis repagulis & carceribus ad Academias, tanquam ad liberrimam omnium scelerum atque licentiarum palastram, præcipiti cursu proruit. (h)

B 2

Quos

(h) Tam deploratam & nostro & superiori tempore Scholarum esse conditionem quid est mirum? quum ei ipsi, qui de æterna non minus ac præsentis suorum felicitate deberent esse solliciti, eo nunquam progrediantur impietatis, ut non pietatis, sed litterarum tan-

Quos vero, finge etiam ingenio haud mediocri præstare & doctrina, consultius esset plane summoueri a primo Sacrarum bonarum artium ac virtutum limine, quam admissos & sibi & aliis irreparabilem conciliare calamitatem.

§. VIII.

Alterum
eorundem
genus, ni-
mirum ho-
nestum.

Altero loco ponimus eos, qui ab eiusmodi, quæ ante diximus, sceleribus immunes, honestatis virtutisque aliquam præ se ferunt speciem; quam aut naturæ beneficio aut educationi disciplinæque arctiori, aut quibuscunque aliis causis externis acceptam referunt. Sunt, aut videntur potius, modesti, obediens, temperantes, aliarum virtutum laude sese eis commendant, qui naturalem non didicerunt a vera distinguere honestate. Qui, si comparauerimus cum eis, quos paulo ante depinximus, digniores esse omnino videntur, qui ciuium Academicorum numero adscribantur; neutiquam vere digni, quatenus eos ad veram sinceramque morum integritatis regulam examinauerimus. Quantum enim eiusmodi virtutis simulatio a veritate & sinceritate christiana distat? quam lubrico innititur fundamento? quam facile leuissima quaque ad præuicacitatem inuicitatione labefactatur? Quis in ea, aut contra voluptatum lenocinia, aut terrores ac minas hominum ferocissimorum satis fore præsidii existimat? Sexcenta testantur exem-

tantum causa, dictitent, Scholas esse institutas. Quæ si Aristoteles aut Cicero somniarent: non equidem ita offenderer; sed nec illi facerent; Christianarum vero Scholarum præfectos, id non solum cogitare, sed palam effutire, id vero non est tolerandum. Hi male sentientes docti si intelligerent, quam amico & fororiorum quasi consensu doctrina cum virtute vera eaque Christiana conspiraret, & quod præstantissima quæque optimarum Scientiarum cognitio sine diuinæ gratiæ gubernatione in summam & hominis ipsius, qui ea gaudet & aliorum perniciem cedat, sanius forte hac de re iudicarent.

exempla, quam insufficiens eiusmodi fallax & inconstans virtutis externa quadam species sit. Quot enim non fuerunt iuvenes, qui cum salutarerent Academies, virtutis quasi simulacra fuerunt, sed haud ita multo post, tot commilitonum prauorum aliorumque insidiis adeo breui tempore succubuerunt, vt in atrocissima sese præcipitauerint flagitia. Sed plus largiar; dabo eos, qui aliquamdiu in eo, quem ingressi sunt, perseuerarunt virtutis tramite, tandem vero plurimos eam turpissime deseruisse, quam confirmatum est experientia testimonio? Quinimo concedo, esse, (dantur enim eius generis exempla haud infrequentia,) qui eum, quo antea fulserunt virtutis naturalis splendore, nouo quodam nitore, id est noua simulatione collustrarunt. Horum vero omnium, meo quidem iudicio, miserrima est conditio. Ista enim pietas philosophica, (hoc enim nomine adpellitari solet) tam altas in Academiis radices agere solet, vt in tota insequenti vita eius generis homines, sibi & aliis abunde probi atque perfecti visi, ægerrime possint ad meliorem mentem perducere. (i)

B 3

§.IX.Ali-

- (i) Non pauci dantur educationis institutionisque iuuenum magistri, qui præclare cum suis actum putant, quin præclarissime, si hoc, de quo diximus, quemque redarguimus, virtutis quodam splendore gaudent, rati, hanc demum rectam & facillimam ad veram mentis emendationem viam esse, vt ope logicorum & moralium præceptorum ex statu brutali ad humanum & ex hoc ad christianum transducantur. Pæspiciose profecto argumentantur; quid enim naturæ & rationi est conuenientius, quam a minori progredi ad altiorem perfectionis gradum? Haberent ergo, fateor, ius ita ratiocinandi, si de mera naturali & philosophica sermo nobis esset emendatione. Que vero, cum e diametro veritati christianæ & iure quidem aduersatur: nulla ratione possumus a nobis impetrare, vt eorum consiliis calculum adiciamus. Quum enim ex impurissimis amoris sui ipsius corruptissimi fontibus, tota ista, quanta, quanta est? pietas philosophica deriuetur: quis tam desipiens

§. IX.

Tertium
genus eo-
rum qui
verè emen-
dari cepe-
runt sed
non perfe-
uerunt.

Aliud non raro deprehenditur iuuenum genus, in quan-
tum pietatis habemus rationem, qui hac, quam iamiam deline-
auimus, externa aliqua & naturali emendatione non contenti,
melius sapere incipiunt. Ea, qua oracula diuina gaudent, vi
efficacissima tanguntur, commouentur, eoque adiguntur, vt de
salute æterna sint solliciti. Feruntur conscientia expergefacta
terroribus ad supplicissimas nonnunquam & ardentissimas pre-
ces, vt eis aliquam perturbato animo conciliare possint tran-
quillitatem, induunt quoque meliorem vitæ rationem, quid?
quod feruent nonnunquam ardore intensissimo. Verum, quia
omnibus nuntium non remittunt cupiditatibus, torpente, suc-
cessu temporis, ea, qua cœperunt, efferuescentia, neglectis, qui-
bus strenue vti deberent, mediis: tandem eo delabuntur, vt me-
liora sciunt, deteriora sequantur; & quamvis continuo eis, qua
incisa sunt conscientia, vulneribus exagitentur: malunt tamen
in ancipiti hocce statu perseverare, quam agnita animi sui cor-
ruptione intima, damnatisque, quibus titillantur prauarum
cupiditatum blandimentis, victas dare manus Seruatori optimo.
Hos certe prudens nemo iudicabit, periculosissimam in se Aca-
demica vitæ rationem, salua sua salute, posse periclitari. Quæso
enim, qui ille a tot tantisque in Academia sese vindicabit ad
malum inuitamentis, qui non in scholis potuit? Est illorum fors
eo infelicio, quod, cum gratiam diuinam efficacissime eos
quondam afficientem sua culpa irritam reddiderunt, & super-
uacaneam, nullam ei amplius fidem habeant; quamuis & pu-
blice

piens est & veritatis euangelicæ ignarus, vt hac viam muniri
posse ad dignam gratia, per optimum seruatorem partæ, appli-
cationem, autumet; quod tantum abest, vt potius saluari eiusdem
vsui nihil magis sit aduersum. Aliud nobis & doctrina & exem-
plum optimi nostri *στυγος* & omnium eorum, qui eius vestigia
preferunt & premunt, suadet.

blice & priuatim abundantissime offeratur. Pungit eos interea, quem semel intra præcordia sua admiserunt, aculeus, quem vt excutiant, modo impetu quodam vehementi ad litterarum studia prouunt, modo commilitonum similibus consuetudinem quærunt, modo hoc, modo illud aucupantur; quibus omnibus tandem in flagitia sæpe deterrima, & perniciem inextricabilem sese inuoluunt. En ideam candidati academici, qui diuinæ gratiæ fidem in scholis dedit, sed non seruauit? (k)

§. X.

Perpendimus in ea, quæ hanc antecedit, disquisitione eos, qui in scholis locum diuinæ gratiæ concedere inceperant, sed proh dolor! paulo post eundem ei recusarant. Quibus commemoratis, progredimur ad eos, qui quam serio & sincere ingressi sunt ad integram animi sanitatem, viam, eam maxime persequuntur. Hi quodsi, diuina quæ est gratia, aut degustarunt diuini amoris & felicitatis æternæ dulcedinem, aut perceperunt peccatorum & quæ cum eis sunt coniuncta, malorum acerbiteriam, id in animum suum induxerunt, vt omnibus viribus, quas a summo Numine suppliciter implorant, eo contendant, quo in beatissimam summi Numinis amicitiam beneficio eius, qui nos cum Deo reconciliauit, Seruatoris optimi sese adferere queant. Hinc in vsu mediorum, hunc ad finem perducentium, sese præbent indefessos, in repellendis, quæ sese vndique obiciunt, impedimentis fortes, in peragendis eis omnibus, quibus sunt obstricti, fideles, nihil magis in votis precibus-

Quantum eorum genus, qui vti bene ceperunt, strenue pergunt, sed ad optatam nondum peruenerunt in scholis conscientiæ pacem.

(k) Huic periculo, illi præ primis sunt expositi, qui eis in scholis degunt, ubi largissimam nasciscuntur ad meliorem frugem redeundi occasionem. Quibus hæc felicitas, non tam vulgaris, contingit eheu! quam cautionem adhibeant est necesse, ne eandem in suam perniciem conuertant; quod, quam facile fieri possit & his, quæ hoc loco fuerunt monita & exemplis multorum tristissimis facile, si voluerint, edocentur.

cibusque habentes ardentissimis, quam ut ipsius almi spiritus testimonio, de omnium suorum delictorum venia a summo Numine, optimi seruatoris intercessione, impetrata reddantur diuinitus certi & confirmati. Præferunt quidem sapius, per aliquam anticipationem, quasdam beatissimæ huius absolutionis primitias, confidentissime etiam credunt, fore se suorum votorum compotes. Verum sapientissimis de causis, tum ut adhuc penitiori, in imos suæ corruptionis recessus, inuestigatione penetrent, tum ut eo tenacius & firmitus aliquando diuinam, quam experti sunt gratiam tueantur, & quæ sunt eius generis aliæ, factum est, ut optatissimum istum finem, cui tamen sunt propiores ac ipsi credunt, non dum potuerint adsequi. Horum si sub examen vocamus ad Academiam maturitatem, illam eis sanus nemo earumque rerum gnarus denegabit, quamuis, maiorem eius gradum adhuc superesse, non sit inficiandum. Quia enim ex vna parte conscientia mali reatum & accusationes summo cum dolore coniunctas intimis senserunt visceribus, horruerunt & ceu pestem auersati sunt; ex altera vero parte primis quasi labris diuinæ gratiæ dulcedinem delibare & primo quodam obtutu, eius, qui amorem suum in homines infinitum vel morte ipsa obsignauit, pulchritudinem conspiceret ceperunt, non insidias solum, quæ iuuenibus in Academiis struntur, omnes illudunt, sed, si eo, quo ceperunt, perrexerint curriculum, desiderabilis illius boni, cui omnibus viribus velificantur, re vera participes euadent.

§. XI.

Quintum
eorum ge-
nus, qui
certitudi-
nem de sa-
lute adse-
cuti sunt.

Hos, quos modo definiui Academiae candidatos, dignos esse, iure, credo, adfirmaui; digniores tamen superesse simul monui, illos qui præter cetera illa omnia, in quibus illorum sunt similes, hac gaudent insigni prærogatiua, quod infinita illa, quæ sola optimo Seruatori accepta referunt bona, non accupantur, sed reuera attigerunt, perceperunt, sibi que vindicant;

runt; hinc de eis tanta sunt confirmati certitudine, vt nulla eos nec dubiorum nec voluptatum nec minarum vis, quamuis premere, tamen non opprimere possit. Quam, quæso, beate in hac, qua fruuntur arctissima cum summo Numine communionem, litterarum studiis, ea, qua decet, ratione vacare, eademque non solum memoria complecti discunt, sed & in vsum eum, qui honori diuino est conueniens, conuertere possunt, suo exemplo alios docentes, quam amica sit vera pietas litteris, & quam admirabili ratione sibi inuicem inferuire possint. Fortunatos ergo istos, quin terque quaterque beatos, qui in veram istam libertatem sanguine Christi comparatam adfert, vere liberi liberrimam illam in Academiis vitam ineunt! Hos & nomine & omine Candidatos Academiae dignos nemo non nuncupabit. (1)

§. XII.

Ad alteram confecta priori, progredimur disputationis partem, vt informemus candidatum ad altiora studia aptum in ea, quam præstare debet, linguarum & bonarum artium sufficienti facultate. Quæ quia sponte & ipsa sua natura eo ^{Conspæctus eorum, quorum cognitione fit ornatus.} redeunt, vt & linguarum omnium, quibus pro nostra eruditionis præsentis facie opus est, notitia satis fit imbutus & doctrinarum teneat scientiam earum, quibus veluti iacto fundamento

C maioris

- (1) Prioris generis admodum raros deprehendi in ingenti illa ad Academias prouolantium turba, huius generis multo pauciores, quin paucissimos, facile quidem largior; dari interim, quamuis ex his haud ita multos, plures ex illis, ipsa experientia, quæ Dei est gratia, edocemur; Quid? cum doctrina de certitudine salutis per Christum nobis perfectissime acquisita & vera in eum confidentia, præuia mentis seria emendatione, cuique obuia & communis: principatum omnes inter doctrinas religionis euangelicæ teneat & cor quasi sit totius religionis christianæ: quis incomparabile hocce bonum non in iuuenes, quam diu in scholis inferioribus versantur, conuenire quam aptissime, sibi persuadebit?

maioris momenti difficiliorisque ad intelligendum, id est Academica superstruantur studia: bipartita nobis suscipienda est huius loci explicatio: quas nimirum teneat linguas & quantum; quas calleat scientias & quam in eis adsecutus sit perfectionem. Linguis adnumeramus latinam, græcam, hebraicam, gallicam, italicam, anglicam; quas, caue credas, omnes in omnibus desiderari; Scientiis autem Theologiam, Mathesin, Philosophiam, Historiam & quæ eo pertinet, Geographiam; Oratoriam, Poësin adscribimus, omnes perfecto ad altiorum eruditionem sese accingenti candidato tam necessarias, ut præcipue prioribus quinque commode non profus carere possit. (m)

§. XIII.

Latino
sermone
quantum
valeat,

Efficta ea, quæ genuino altiorum studiorum candidato inesse debet veræ pietatis specie, ductisque rudioribus litterarum scientiarumque lineamentis, ad eorundem exornationem iustam & expolitionem pergimus. In linguis, quarum polleat cognitione, primum sibi merito vendicat latina locum. Huius utatur sermonis copia quisque novus Academiæ incola est necesse, verum qua? Sufficeret forte ea romani sermonis facultas (ut est in plurimis,) qualicunque ratione mentem scriptoris latini coniectura potius quam iudicio adsequi, transferre aut verius cogere & torquere eundem in sermonem vernaculum, litterulas qualescunque non scribere, sed multa opera vix exarare, oratiunculam compilare, verba aliquot balbutire, aut (ut cum Weisio loquar) secundare & tertiare? suffi-

(m) Quam late pateat campus a iuvene iamiam in scholis, si non absolvendus, tamen, quoad insignem partem, percurrendus, ex sola litterarum scientiarumque recensione, quam exhibui, potest colligi. Facile suspicor fore, qui earum numerum nimis esse exaggeratum censeant & iure censeant, si omnia hæc ab omnibus & si ab omnibus æquali ratione postularentur; quod minus fieri, ex eis, quæ sequuntur, patefecer.

fufficeret, fed cui? femidoctulo aliquando ludi magiftro, aut loquaci rabulæ & eius farinæ monftris eruditorum. Futuro vero aliquando Sacrorum præfecto, iudici, cauffarum patrono, doctori & fuperiorum & inferiorum Scholarum quis talem linguæ romanæ incitiam conuenientem eſſe iudicat? Qui enim uſum aliquando & opportunitatem ex latinorum fermone aliquam exſpectat, ille eum iamiam in ſcholis apprime calleat, eſt neceſſe. Ita ergo huius fermonis, quilibet ex ſcholis ad Academiam tranſiturus, fit compos, ut ſcriptorem vel difficillimum romanum exhaurire, id eſt eundem, quem ipſe ſcriptor & cum verbis & eorum inter ſe poſitu coniunxit ſignificatum & cogitationem plane intelligere queat, ut percepta natia romani dicendi generis indole & genio eoque crebra imitatione quaſi in ſuccum & ſanguinem conuerſo, pure, concinne, ornate & apte tam ſcribere valeat, quam dicere. Quam huiusce fermonis vim & promptitudinem, qui uult acquirere, (omnes uero ſine diſcrimine debent) nã ille magis deſudare debet, quam quidem communiter fieri ſolet. Talem, ut deſcripſi, huius linguæ perfectionem nemo credat in eum ſolum cadere, qui ſacris ſeſe dedicauit ſtudiis; qui omnino in ea, quæ eos & in Academia & poſtea excipit vitæ conditione, non exacta latini fermonis, ut ſunt noſtra tempora, deſtitutus eſſe poteſt cognitione; ſed non minus in Iuris prudentiæ cultores & Medicinæ quadrat, qui, ut taceam tot obuenientes, qui linguæ huius non mediocrem notitiam deſiderant, caſus, doctorum ut in numero ponas, non merentur, uernaculi doctorum fermonis ſi fuerint ignari. (n)

C 2

§.XIV. La-

(n) Si alicubi noſtra tempeſtate fermoni latino præſidium aliquod eſt & patrocinium in Theologorum forte caſtris inuenire deberet; ex quibus uero haud multum abeſt, quin pari ratione, ut ex aliis exturberur. Verum, quum hi romanarum litterarum ofores,
earun-

§. XIV.

Quantum
græco
valeat
sermone.

Latinae musæ, ut iam iam commonstrauimus, satis infelicem nostra tempestate sortitæ sunt conditionem, quid dicam de græcis? hæc vero multo iniquiorem patiuntur fortunam. Ea enim in scholis inferioribus subierunt huc vsque fata, ut ab eis, qui Iuris sese consecrarunt prudentiæ & Medicinæ profus inutiles habeantur ac superuacaneæ; si quid habent pretium, ab eis statuitur, qui Theologiæ nomen dederunt; sed & ab his quam vile quamque indignum, ecquem fugit? subsistemus ergo potissimum in his & quantum ab illis, si in hoc etiam eruditionis genere partibus suis deesse nolunt, exigatur, ad liquidum redigemus; ea tamen cautione adhibita, ut nequaquam græcum sermonem, sua & in Iuris prudentia & in Medicinæ studio utilitate omnino non contemnenda, defraudemus. (o) Ii ergo, qui sacro sanctæ Theologiæ sese dicauerunt, quam in scholis, necesse est, græcarum litterarum sibi comparauerint eruditionem, ante quam ipsa sacræ scientiæ adyta

earundem plerumque sunt maxime rudes & expertes, qui hic contemptus oriatur, facile est intellectu? Quod tamen pace illorum huius ordinis dictum esse volo, qui linguæ latinæ pro nostrorum temporum ratione, adeo non reprehendunt etiam copiosiore exactioreque notitiam, ut potius quauis occasione eam commendent.

- (o) Habent græcæ litteræ in Iuris cultoribus omnino usum non exiguum in ipsa legum interpretatione. A quo si discessero, alio quodam multoque insigniori sese commendant & his & quibusque eruditis, emolumento. Oracula enim diuina potissimum noui fœderis eo, quo consignati sunt sermone, inuestigare posse; quam profecto admirabilis in quemque inde redundat fructus? quapropter vel hoc solum stimulum cuique adderet & appetitum litterarum græcarum cognitionis, si non copiosæ, certe mediocris.

adyta in ipsa Academia attingant? Plurimi ea sunt huius linguae notitia abunde contenti, si noui foederis oracula proprio Marte intelligere possunt atque explicare; quae ipsa facultas, minime sufficiens, quam multis deest? Hanc vero plane non satisfacere ei, cuius est primarium, quo occupatus esse debet, negotium, scripturam scrutari & genuinam eiusdem interpretationem eruere, nemo dubitabit, qui accuratiori consideratione secum reputauerit, quae efficacia & vis diuina in vnica nonnunquam uocula sacri codicis delitescat. Cur enim ea in inuestiganda uerborum genuina significatione sacro noui foederis codici recusetur, quam cuique profano, ut dicitur, scriptori haud denegamus. Pospexerit ergo graecae linguae naturalem indolem, est necesse, & potissimum eius scribendi generis, quo scriptores sacri utuntur; utriusque uero cum & scriptorum classicorum & uersionis codicis ueteris foederis graecae notitia mirum quantum proficiat: per se inde patescit, rudem in eis & plane inexpertum insigni hocce usu esse destitutum. Quemadmodum ergo in hoc limites eius, quod iustum est, omnino transiliremus, si scriptorum profanorum explicandorum perfectam promptitudinem postularem, ut in latinis: id nihilo tamen minus iure desideratur ut ex illis, qui sit genius linguae graecae, non mediocriter praegustauerit. (p)

C 3

§.XV. Ter-

- (p) Arctiores iusto terminos in eo, quod Theologiae aliquando studioso percurrendum est, litterarum graecarum studio, ne constituisse uidear, haec adiungere liceat. Sunt forte, qui eam etiam requirant huius linguae copiam, ut graece scribere possit, (dicere enim debere, nemo temere adfirmabit;) quae uero facultas cui usui nostra tempestate inseruiat, haud capio; ornamento esse non diffiteor. Dabo tamen in eis, qui, aut in Academicis, aut Scholis aliquando, ut alios sic & hunc sermonem iuuentem edocere secum constituerunt.

§. XV.

Qua in hebraica lingua facultate sit.

Tertium adsignauimus hebraico sermoni locum, qui, quamuis eius quædam notitia erudito nulli possit esse inutilis, & sine fructu: præ omnibus tamen Theologiæ post hæc cultori merito adiudicatur. Hoc ergo omnem extra dubitationem positum esse credo, in his quandam sacræ huius linguæ scientiam requiri? sed quanta sit, alia est & grauior quæstio. Quam si soluerem eo, qui receptus est plerumque in scholis more & exemplo: iste forte satis magnam hebraicæ cognitionis deportaret laudem, qui primariis grammaticæ præceptis imbutus aut primarum Geneseos sectionum, aut (vt liberalior sim) aliquot librorum historicorum eorundemque facilliorum explicationi par sit? est omnino, si comparaueris cum illis, qui vix legere hebraicas litteras aut adhibita versione vix facillima quæque intelligere queunt. Verum, quodsi decidere hanc quæstionem, tum ex eo, quantum possit in scholis, tum, quantum debeat huius linguæ cognitionis percipere is, qui dignus est, studiosorum Theologiæ in numerum vt recipiatur, voluerimus, alius certe & aliquantum acrior census est instituendus. Vt ergo & hac in re candidatum studii Theologici informemus, non leui quadam grammaticarum regularum notitia sumus contenti, sed ea, qua ipsorum, quæ Grammatica subministrat, præceptorum & rationes nouerit ex indole linguæ ipsius hausas & ipsa quacunq; obueniente occasione adhibere didicerit. Optima vero quemadmodum Grammaticæ cognitio inutilis est & superuacanea sine ipsius scriptoris assidua lectione: perinde est in hebraico sermone. Hinc historicis sacri codicis libris, si non omnibus, (quod haud est inconsultum) aliquibus tamen peruolutatis, ad faciliores morales, vt Psalmos & Proverbia fiat progressio, in quibus, si aliquam huius linguæ copiam adquisiuit, tum vero ad Prophetas minores expeditus est transitus. Quibus præmissis, asti-

æstimatio hebraicæ cognitionis, quæ in digno Academiae candidato sacris consecrato studiis, merito est postulanda, facili negotio potest diiudicari; ea nimirum polleat facultate, ut ad sacri codicis hebræi libros quoscunque aditum sibi iamiam in scholis patefecerit. Nemo, credo, harum rerum gnarus & in hoc penso nimii nos rigoris criminabitur. Quod si quisquam fecerit, (quod mihi vix possum persuadere:) cogitet quæso, quantum & in hoc ipso curriculo superfit absolendum. Aliud est enim profecto scriptorem historicum, moralem, propheticum faciliorem explicare, aliud eius mentem plene percipere; non dicam, quod in grammaticali ambitu adhuc supersint subtilitates plurimæ rite & penitus inspiciendæ, quibus satis adhuc diligentia & temporis in Academiis est tribuendum. Quid dicam de difficilioribus sacrarum litterarum scriptoribus? quantum Prophetæ maiores, Iobus & eius similes laboris & horarum sibi volunt impendi. Quibus omnibus ea, qua par est, deliberatione expensis, nemo spero iustus huius discussionis iudex nimium in hac re candidato studiorum altiorum eorumque sacrorum onus impositum esse, arbitrabitur.

§. XVI.

Principalibus tribus litterarum generibus, latinarum, græcarum atque hebraicarum earumque pretio iusto æstimato, veniunt adhuc in censum gallica, italicæ & anglicæ. De quibus quid in eo, quem describimus candidato, iustum sit atque necessarium, paucis adiciemus. Gallicarum, quæ latinis palmam fere ambiguam reddere cœperunt, perutilis est & peropportuna cuique litterarum studioso cognitio ea, ut eo sermone conscriptos libros, non perfecte tantum intelligere sed & scribere gallice possit & loqui; ita vero necessariam esse, ut nemo dignus sit & genuinus Academiae candidatus, hac si facultate non gaudeat, quis iudicabit? non enim ea eius natura &

Quid in
reliquis
linguarum
generibus.

& cum aliis grauioribus scientiis est cognatio, vt hæ, sine illis, saluæ esse non possint. Quod si iudicium valet in Gallicas: multo maiori iure & ad Anglicam, si rationem Theologiæ duxeris studiosi & ad Italicam, si Iurisprudentiæ cultorem æstimas, pertinet. Anglici tamen sermonis notitiam & eandem haud mediocrem iuueni sacris studiis initiato salubriorem fere esse gallici, nemo inficiabitur, qui accuratius, quod libri multo præstantiores & Theologo conuenientiores Anglorum quam Gallorum idiomate sint conscripti, secum reputauerit. (q)

§. XVII.

Quantum
Theologia
sibi vindicat.

Posteaquam in eis, quæ differuimus ante, linguarum inieci-
mus mentionem, quibus & quali in singulis cognitione va-
lere debeat is, quem altioribus capeffendis rebus aptum iudi-
camus: sine vltiori mora ad ipsas properamus scientias. Has
inter & ob dignitatem eius, de quo agit & ob vtilitatem, quæ in
omnes sese effundit, primas sibi omnino tribuit scientia rerum
diuinarum salutisque hominum æternæ, seu Theologia. Ea
quisque, vlllo sine discrimine ita sit instructus, vt tam ea, quæ
cognitu ad salutem æternam sunt necessaria, legitime, id est di-
stincte atque certe comprehenderit animo eiusque rationem
reddere nouerit sufficientem ex scriptura sacra; quam agen-
dorum, id est officiorum perceperit necesse est notitiam, vt &
aliquam eorum, quæ ab hostibus veritatis in controuersiam
vocari solent & cognitionem & eorundem refutationem.

Quæ,

(q) Peruersam sæpius ineunt iuuenes Studiorum rationem, dum litte-
ris hisce, quibus meritam suam vtilitatem non detrahimus, adeo
sese tradunt, vt illa, quæ grauioris & summi sunt momenti, plane
negligant. Alia tamen eorum est ratio, qui nostra ætate, equitum
more id est leui, mitila &, vt breuibus omnia dicam, nulla litera-
rum scientiarumque cognitione solida volunt imbui. Qui si Gal-
lorum vti sermone didicerunt aut Italorum, satis superque sunt
existimandi, suo ex ingenio, docti.

Quæ, vt eo, quo adpellitari solent, nomine complectar, eo redeunt, vt & Theologiæ dogmaticæ & moralis & polemicæ non copiosam quidem, sed succinctam quandam & distinctam rerum primariarum, id est nexus earum generalioris, notionum & dictorum scripturæ sacræ probantium teneat cognitionem. Hanc, quam breuissime delineavi, scientiæ Theologiæ ideam omnibus communem esse Academiæ candidatis, nemo, qui eius naturam recte perspexit, inficias, credo, ibit. (r)

§. XIIX.

Subiungimus Theologiæ Mathematicum scientiam, in cuius cum perfecti candidati idea comparatione, erimus breuiores; quia pari ante annum occasione de eodem argumento copiosius fuit disputatum. Duplici sese commendant Mathematicæ scientiæ vsu & eo, quo docentur tractationis ordine siue methodo & quæ in eis continentur, rebus; vtrumque, quantum limites scholarum permittant, in vsum suum transtulerit is, qui scholas mox est derelicturus, oportet. Hausèrit inde promptitudinem si non plenam, quis enim postularet? at non mediocrem omnia ex genuinis notionibus, ad rectas ratiocinandi

Qualis Mathematicum
notitia.

D

nandi

- (r) Quam longe lateque rerum diuinarum nostro tempore serpat fastidium ei, quibus rei christianæ integritas, vt decet, curæ est cordique, nimium quantum! experiuntur. Plurimi doctorum enim a studiis sacris alienorum laudi sibi & gloriæ ducunt, de rebus ad æternam miserorum mortalium salutem pertinentibus tam ridicule, tam absone iudicare, tamque capitales non fouere solum, sed & inter alios disseminare errores, vt doleri satis & deplorari non possit. Vnde vero, tam indignus non superstitionis forte, vt apud Romanenses, sed religionis christianæ veritatisque euangelicæ contemptus est deriuandus? Vnde vero, vt alias silentio prætermittam causas, quales sunt pestiferæ Theologorum, sine ratione dissensiones, ipsorumque proh dolor! exempla turpissima, quam ex incredibili quadam rerum diuinarum ignorantia. Quum enim ei omnes, qui aut legum ciuilium aut, medicinæ

sese

nandi regulas, eliciendi; calleat vero præterea, in primis Mathematicos puræ, simul vero & applicatæ, scientiam eam, quanta ab hac ætate iure expectari potest, quibus merito aliquem problematum ipso exercitio soluendorum habitum adiungo.

§. XIX.

Philosophiæ quæ exigatur cognitio.

Missis Mathematicorum circulis ad Philosophiæ campum festino, campum inquam, tam patentem, ut, qui primo eum conspectu comprehenderit, non possit rerum in se vilissimarum non demirari multitudinem. Quibus in ea contentis singulis quibusque scientiis, si meditatione inharere vellemus longius, vereor ne obruere magis quam docere lectorem videar. Iuuabit ergo, ut ei, qui nobis est propositus finis satis fiat, quid in primariis eius partibus præstare debeat, decidere. Logicæ ergo, hæc enim iure antecedit, eam habeat scientiam, ut non notionum, ratiociniorum, ipsiusque demonstrationis naturam & quæ alia eo pertinent memoria solum complexus sit, sed & eadem omnia, quæ mente concepit, ipso usu didicerit data occasione adhibere, quia Logica quanta? quanta est? est practica. Hancce logicæ cognitionis mensuram iustam esse, vel
ex

sefe destinarunt studiis, in Scholis Theologiam tanquam sibi superuacaneam negligant, in Academiis plane de ea nec cogitent: cui hæc mirabilis viderur rerum diuinarum ignorantio & quæ exinde proficiscitur, contentio? Quam sapienter ergo sibi prospiciunt, qui, quamuis ad ciuilia sefe præparent ministeria, operam nihilominus in Scholis quamdiu degunt, æque strenue rerum diuinarum scientiæ nauant ac ei, qui se totos Theologiæ deciderunt. Et quis æquus rerum arbiter non magnopere eorum prudentiam laudar, qui in ipsa Academia hocce refarcire damnum laborant quod in Scholis inferioribus neglectu rerum diuinarum, aut sua, aut aliorum culpa, sibimet contraxerunt. Quapropter plane consentaneum est rationi & Iurisprudentiæ cultores lectionibus Theologiæ theoreticis, quas dicunt, interessè debere. Cuius tamen inter sexcentos vix vnum deprehendes exemplum imitatione profecto dignissimum.

ex eo efficitur, quod sine illa nulla nec in scholis; tantum abest in sublimioribus, quæ Academiæ sibi referuant, doctrinæ generibus, expedita detur progressio. Ab hac secundum locum tenet Metaphysica cum eis, quæ complectitur de ente, mundo, anima & Deo doctrinis, siue Ontologia, Psychologia, Cosmologia & Theologia naturali. Harum omnium prima rudimenta esse ponenda, tum ob multiplicem earum in reliquis, quibus etiam in Scholis vacant, liberalioribus artibus, tum ob futurorum studiorum usum est necesse. In quibus, siue etiam solito versatorem esse quemquam, saluis tamen reliquis; magnopere est laudandum, ne in ipsa Academia, grauioribus doctrinis referuata, nimium huiusmodi rebus retardetur. Excipit Metaphysicam Philosophia practica de officiis disputans hominem etiam naturalem obligantibus; quæ cum partim ex doctrina de anima humana, hoc est Psychologia sit perspicua, partim vero in Theologia ipsa occurrat: eius modica quadam qui est ornatus notitia, aut conspectu quodam vniuersaliori, huic ad Academiam ius in hac re nemo vocabit in dubium. In eis, qui animum Iuris prudentiæ adiungent, præter iuris naturalis prægustum, si præcipuorum, qui in Iuris scientia termini occurrunt, notitia accedit, admodum est laudandum. Imponat huic disceptationi finem doctrina de vi corporum naturali, siue Physica, cuius quadam delibatione homo nemo commode carere potest, multo minus iuuenis litteris, quamuis inferioribus deditus. Hac doctrina, quum nulla sit difficilior, sicuti etiam ex naturalibus nulla temere & præstantior est & gratior: quo vsque in ea progrediendum sit, antequam aditus pateat iure ad Academiam, cadit in deliberationem. Meo quidem iudicio, principiorum eorum, ex quibus omnes, qui in hac scientia naturales corporum euentus occurrunt, deriuantur, præcognitio & præcipua phænomena explicandi facultas ei, quem hoc loco definimus, tam sufficiens esse videretur quam necessaria.

§. XX.

Quid in
historia
& ei cogna-
tis sciat
scientiis.

Ab his, quæ, iure quodammodo suo, scientiarum nomine gloriantur, ad rerum gestarum cognitionem siue historiam tranlitum faciamus, examinaturi, quantum ei in verum Academia- rum candidarum ius competat. Hæc pro diuersitate rerum aut sacrarum aut ciuilium aut litterariarum trifariam solet dispesci, quarum neutrius cognitione quadam non tenui quemquam posse carere, ex ipsarum rerum, quas tradit, clarum est præstantia & necessitate. Innotuerint ei, oportet, non primariae solum temporum mutationes siue periodi, sed, quæ in singulis notatu sunt digniora eorumque cum antecedentibus & consequentibus connexiones, vt in quodcunque temporis interuallum inciderit, ope fli, quod dicunt, historici id est vniuersalioris eiusmodi diuisionis, quo se vertat & vbi locorum sit haud ignoret. Sed præcipue in recentiori & in hac, patriæ suæ historia sit versatissimus. Quam arcta cognatione Geographia vna cum Genealogia Historiam contingat, ita, vt illi luminum duorum instar inferuire merito putetur, natura earum ipsa docet. Quis enim res gestas a Principe certo quodam in loco, sine loci aut sine illius, qui eam perpetravit & gentis & familiæ notitia ea, qua decet, claritate animo suo potest complecti; quem insignem vsum cum Geographiæ debeamus & Genealogiæ: quantum in vtraque versatus esse debeat, quin versatissimus, facile est ad iudicandum. Quod non vtriusque huius scientiæ præstantia solum suadet, sed & ætas iuuenum, qua memoriæ tenacitate maxime valent; turpe insuper foret litterarum cultori, ea ignorare, quæ vel vulgo sunt notissima. Non vsu caret suo & in Historia & quæ cum ea coniunctæ sunt, Geographia & Genealogia, quædam insignium, quibus Familiæ Principum vtuntur, scientia, Heraldicæ inquam, cuius, si leges rite introspexit & potiorum Europæ Principum nouit insignia, multum eis, quas dixi, scientiis huius inde adfundetur. Hæc omnia vt in breuiorem redigamus summam,

mam, versatus sit oportet Candidatus Academiae genuinus in historia civili potissimum sed & litteraria & sacra haud modice, in Geographia vero sit versatissimus, in Genealogia & Heraldica non hospes deprehendatur. Quodsi enim maxime largirer, ad singula haecce in Academia opportuniorem illi fore occasionem, (de quo non est dubium:) quotus quisque est, cui arctissimi triennii sui termini, in hunc campum ut altius incurrat, permittunt? pauciores forto; & si essent, hi demum, quando adeo iam in scholis sibi praemunierunt viam, admirabiles in his scientiis possent progressus facere.

§. XXI.

Claudant in hac, quam instituimus, recensione eorum, quibus munitus sit & instructus, qui musarum superiorum stipendia mereri vult, agmen quasi ars oratoria cum ea, cum qua amicissime conspirat, Poësis. Illius, quae absolvitur facultate de re dicendi copiose, distincte, efficaciter & digne, (nam cetera, quae huc referri solent, pertinent ad cuiusque linguae peculiarem culturam) necessario ita sit compos, ut, quacunque sese offerente occasione, illam scite adhibere possit. Sciat necesse est recte scribere, potissimum linguam patriam, cui Orthographia inseruit; sciat cum aliis & coram & absentibus ope litterarum ita sermones instituere, ut legibus & praecipis oratoriis est consentaneum; neque id in vernaculo solo sermone, ad quem praeter primis haec omnia valent, (s) sed & aliis; sciat

Quid oratoriam
ars cum Poësi
desideret.

D 3

etiam

(s) Peropportune hac occasione lacunam eam, quam in recensione linguarum reliquimus praeter opinionem, poterimus implere. Cum enim tot linguarum fecerim commemorationem, vernaculae vero nullam, quis non iure mihi illud vitio daret? Adiungo ergo me iure illorum doctorum partibus, qui tam indignum patrii sermonis neglectum non reprehendunt solum, sed a prima statim pueritia eius veram indolem, quavis occasione, inculcandam & ipsam exercitio, quod in hac quoque re plurimum potest, perpoliendam esse, recte iudicant.

etiam publice de argumento quodam ita dicere, vt audientes non percipiant solum dicentis mentem sed & eis vt calculum suum adiiciant, commoueantur. Qua huius artis copia tam indiget quisque litterarum cultor, vt sine ea, certe mediocri eius facultate, non possit commode ipsis in scholis inferioribus versari; tantum abest in Academia. Quod qui prorsus ad Academiam reiiicit, vbi omnino lectionum oratoriarum datur copia: quam ille fallatur vel ex hoc pater, quod, si etiam temporis, vt eloquentiæ sese colendæ traderet, permetteret ratio, aut parum, aut nihil in ea sit progressurus; si non eius iam iam in scholis sit aliquod constitutum fundamentum. Poëseos vero ea est indoles, vt si vigor illius ætatis, quam in scholis degimus, natus quasi & accommodatus ad Poësin, ei minus consecratur: omne illud, quod adultiori ætate illi tribuimus & studium & tempus, merito perditum esse videatur. Si quod ergo gratissimæ huic arti pretium statuamus, (quo eam nemo potest iure priuare) eius tum iam aliqua laude floreat iuuenis, quando Scholarum cancellos inter adhuc hæret, est necesse. Qua vero laude, si quisquam aut ingenii culpa aut exercitationis neglectu haud esset ornatus; præstaret vero aliis omnibus, quæ maturitatem illam Academicam efficiunt: nemo sanus, eius ob defectum, ab altioribus studiis prohibebit quemquam.

§. XXII.

Quæ morum ratio postuletur.

Emeni linguarum pariter ac scientiarum spatiosissimum ambitum, qui si non absolendus est iuueni in scholis, antequam in nouum illum Academicum rerum cognoscendarum campum, non minus parentem, pedem iure inferre potest, (quis enim posset absolvere?) maiorem tamen partem permeauerit eum, est necesse. In quo vero, quantumcunque etiam confecerit spatium, sine decenti morum elegantia & cum aliis viuendi ratione, non dici potest, quam vehementer omnis ille, quo in reliquis conspicuus est, laudis splendor obscuretur. Sit pius, (præclare agitur) sit simul doctus, (adhuc præclarius,) sed est moribus fordidis, morosis & inurbanis, quis vero non videt, quam turpiter in eiusmodi homine & pietatis gloria & eruditionis commaculetur? Contra vero, qui minori gaudet eruditionis copia, maiori modestiæ, & morum concinnitatis viuendique cum aliis rationis: ille sane & gratior est quibusque, quorum consuetudine vitur, & sibi ipsi mirificum inde conciliat emolumentum. Ex quibus pronissime sequitur, vt nulla

nulla esse possit sine humanitate morumque elegantia optime alias ef-
formatae eius, quem descripsimus, Candidati ideæ, pulchritudo. (t)

§. XXIII.

Ecce, Lector beneuole, digni Academiae Candidati, si non omni-
bus numeris perfectam imaginem, saltem eius ductus primarios & ob-
umbrationem aliquam haud obscuram! cui si Tuo penicillo (Apellis
instar) maiorem & similitudinem volueris adfingere & dignitatem: ego
quidem non impedio. At, suntne in vestro Pædagogio eius generis
ciues, in quos ea, quam efformasti, species, conueniat? eo nos con-
iunctis, quæ Dei est gratia, & consiliis contendere & viribus, velim, cre-
das mihi adseueranti; esse reuera; illud vt adfirmem ipse, noli a me
expectare; Tuæ potius hoc subiicio disquisitioni, qua, si præsto fueris
earum, quas sequens Tibi conspectus sistit, lectionum examini, vt & ora-
tionibus: qui sint digni, qui minus, facile liquebit.

Die I. Octobris, hora II.

FRIDERICVS BOGISLAVS MANITIVS, Berolinensis,
aditum examini nostro, lingua vernacula, patefaciet.

Classis in Theologiam Ilagoga, Classis Latina I.

IOANNES CHRISTOPHORVS FRIDERICVS CAM-
MERHOF, Magdeburgensis, Candidatus Academiae, *Sacri-
ficia leuitica Christi sacrificium præfigurantia*, carmine germa-
nico, prosequetur.

Classis Latina II. Classis Mathematica II.

FRIDERICVS DAVID RATHSAM, Hanoueranus, carmi-
ne latino Sapphico, *merita Archimedis in Mathesin* exponet.

Classis Mathematica I. Classis Philosophica I. & II.

IOAN-

(t) Noli, Lector, in eam opinionem incidere, indulgeri hacce mo-
rum elegantiae commendatione, mollissimis illis plurimorum iu-
uenum effæminatisque & in vestimentis & incessu & verbis aliis-
que in rebus, moribus. Alia enim est digna viro iuvene & de-
cora morum compositio, alia græculorum aut nostra tempestate
gallicorum quorundam magistrorum more adfectata mollities,
quam tantopere improbamus, ac illam iuueni cuique, potissimum
Academiam petenti quauis ratione commendamus.

IOANNES FRIDERICVS VNGER, Rotenburgerſis, de
Sapientia Dei atque Clementia in Meteoris conſpicua, ſermone
latino diſſeret, vltimum ſimul vale dicturus.

Die II. Octobris, hora II.

OTTO TRAVGOTT DE MARKLOWSKI, Eques Sileſius,
Panegyrico carmine *glorioſiſſimam Guſtaui Adolphi, Sueco-
rum Regis memoriam*, renouabit, ſalutem ſimul vltimam no-
ſtris muſis dicturus.

Clasſis Hiſtorica I. Clasſis Hebraica I. & II.

ARETINVS ISRAEL BANDELOW, Magdeburgerſis,
Academiam petiturus de *ſermone latino in Academia non negli-
gendo, ſed magis perpoliando*, eadem lingua, dicet.

Clasſis Latina III. Clasſis Hebraica III.

CAROLVS FRIDERICVS WISSMANN, Poſtſampiſis,
de *prudenti tot Scientiarum ſeruando temperamento*, vernaculo
ſermone, declamabit.

Clasſis Græca I. Clasſis Græca II.

IOANNES GEBHARDVS PFEIL, Magdeburgerſis, in
ſignem temporis in ſcholis bene collocati, fructum carmine ger-
manico exponet, ſimul & abeuntibus gratulaturus & audito-
ribus gratam, omnium nomine, mentem teſtaturus.

Velint huic ciuium noſtrorum cenſui & exercitiis ſimul
oratoriis, ſua præſentia, & auctoritatem conciliare & noſtris
acriora ſuppeditare calcaria, ea, qua decet, obſeruantia
omnes Scholarum Patroni rogantur. Bergæ,
die XXVIII. Sept. MDCCXXXVIII.



AB: 155427

ULB Halle
002 386 95X

3




Sl.

n

VD17







9

EXAMINI PVBLICO

ET
NONNVLLIS SIMVL HABENDIS
ORATIONIBVS

DIE I. ET II. OCTOBR.

IN

PÆDAGOGIO BERGENSI
SCHOLARVM LITTERARVMQVE
PATRONI ET CVLTORES

EA QVA SVNT BENIGNITATE
INTERESSE VELINT SVBMISSE ROGAT

SIMVL VERO

GENVINAM DIGNI ACADEMIÆ
CANDIDATI IDEAM

EXHIBET

STEPHANVS CAROLVS SIBETH,
PÆDAGOGII RECTOR.

MAGDEBVRGI,
LITTERIS CHRISTIANI LEBERECHT FABRI, PRIV. TYP.

1738

